

DISPUTATIO MORALIS  
*De*  
AFFECTIBUS,

*Quam*  
DEO Duce

*In celeberrima, quæ Wittebergæ est, Academia*  
Præside

DN. M. MICHAELE VV ENDELERO

Philos. Practicæ P. P. & p. t. Facultatis Philo-  
sophicæ Decano, Fautore, Promotore & Præceptore  
suo plurimum observando,


*placida disquisitioni subjicit publicè*

CHRISTIANUS STOLTZIUS

Pirnâ-Misnîcus

*In*  
Auditorio minori

*die 29. Octobris.*



WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS RÖHNERI Acad. Typogr.

Anno M DC XLV.

*39.*

*#. C. VII. H.*

coll. diss. A  
1

coll. diss. A 234(1)

DISPUTATIO MORALIS

AFFECTIBUS

DEO DICO

Dr. M. MICHAEL V. RUDOLPH

Philosophiae P. F. Facultatis Philo.



CHRISTIANUS STOLTZ

.....

.....

.....



בלהו



Uod sapientissimè olim Oraculum Del-

phis Cœlo dedit responsum, nimirum: *γνώσις σε-  
αυτών*; illud ab omnibus omninò purioris pectoris  
Viris pro fundamento quasi ac fulcimento totius  
Felicitaris humanæ habitum est. Idq; non immeritò.

Cognitis enim nobismet ipsis & utriusq; partis nostræ viribus ac fa-  
cultatibus, meliùs certè ac longè faciliùs Summum Bonum conse-  
qui possumus, quod aliàs, si absq; eo foret, & ignoratis iis, fieri diffi-  
cilter poterat. Nos itaq; vias, quibus ad augustissimam Summi B.  
Regiam itur, aperturi & nobismet paraturi huic prudenti monito  
ambas præbemus aures, inq; nostrorum ipsorum cognitione nobis  
comparandà summo jam allaborabimus opere. Id quod quùm  
minus commodè & feliciter à nobis peragi possit, nisi prius, qui nos  
dubios huc illucq; trahunt retrahuntq;, affectuum nostrorum na-  
turam paullo altius venemur, operam nos perdidisse non arbitra-  
mur, si cognitioni eorum aliquid tribuamus,

Ponimus ergò theses hasce iuvante Deo.

T H E S I S

I. Aggressuri itaq; nobilem illam, & in vitâ humanâ non me-  
diocriter utilem, imò necessariam doctrinam, de AFFECTIBUS,  
ante omnia vocis expendendam judicamus indolem, quàm *ἐν πῶν  
πολλὰς λέγουσιν* numero eam reperiamus. Sic demum fiet, ut  
densissimis istis æquivocationis nebulis, quibus ea latet obruta dis-  
sipatis, latiori apertiori; se nobis obferat fronte.

II Accipitur vox affectus 1. pro studio seu amore parentum  
erga sobolem, quomodo pater natum benigno dicitur amplecti af-  
fectu. Vocatur aliàs *σπέρμη* 2. pro motione & concitatione animo-  
rum, quam Orator comptè sciteq; loquens in animis humanis ef-  
ficat. Hinc Aristoteles, talem flexanimam Orationem exprimens,  
per *ἡ παθητικῶς λέγειν*, id ipsum effert. 3. pro motione animalis

A 2

natu-

naturali & innata; quomodo ad Physicum spectat. 4. pro passione seu motu appetitus sensitivi, quatenus in mediocritate continere se, aut si forte excefferit vel defecerit, ad eam redigi debet; quomodo sub Ethici cadit tractationem. Nos itaque in Ethicorum scholâ jam versantes, cæteris missis, ultimum arripimus significatum.

III. Definitiones à variis concinnantur variæ. Stoici, ut habet *Laërtius lib. VIII. de vitâ Phil: in Zenone*, talem neciebant definitionem:  $\alpha\lambda\theta\omicron\upsilon$ , inquit Laërtius,  $\acute{\epsilon}\sigma\tau\iota\ \acute{\alpha}\lambda\omicron\gamma\omicron\ \omega\delta\acute{\alpha}\ \Phi\acute{\upsilon}\sigma\iota\nu\ \kappa\acute{\iota}\nu\eta\sigma\iota\varsigma$ , h. e. *affectus est irrationalis præter naturam animi motus*. Per  $\acute{\alpha}\lambda\omicron\gamma\omicron\nu$  intelligunt, non tam quòd sine ratione sit, quàm quòd contra eam. Vide *Horneium p. 214. cap. VI. de affectibus*. Verùm quòd errent veteres hujus opinionis Patroni, facile vides, qui nostri affectus non esse præter naturam, ut illi somniarunt, sed secundum eandem: non in animâ rationali suam fixisse sedem, atque ita soli competere homini, sed in sentiente, atque ita nec brutis denegandos esse: Non absolutè pravos & per suam Essentiam à rectâ ratione aversos esse, sed accidentariò tantùm quodam modo malos fieri & rectæ rationi bellum indicere, quatenus jugum mentis deijciunt, adeoque vel excedunt vel deficiunt.

IV. Hanc itaque Stoicorum definitionem, quum minus explicet naturam affectuum, missam facimus, & vestigiis D<sup>n</sup>. Præsidis insistentes, loco illius hanc apponimus definitionem, quam ipse habet in *Philosophia Practicâ Lib. 1. Sect. 2. cap. 3. p. 92. Affectus est passio appetitus sensitivi, exorta in corde ob notitiam Objecti vel boni, quod prosequitur, vel mali, quod fugit & aversatur*.

V. Quam definitionem, quum constet genere & formâ, ut vult *Philosophus Lib. 1. Top: cap. 2. & Metaph. 6. cap. 12.* paulò diligentius eruere & enodare nobis incumbit. Genus dicitur passio; idque 1. respectu facultatis cognoscentis, quæ movetur ab Objecto extrinsecus, atque ita leviter aliquid patitur. 2. quia non semper nobis inhæret, sed citò nonnunquam per nos ambulat pede. 3. respectu facultatis appetentis, quæ movetur à cognoscente & vi imaginatrice, quæ à cognoscente tacta & suscitata fuit. Dum autem dicimus passionem, actionem non omninò excludimus. Mutuum enim

enim

enim ad se invicem habent respectum actio & passio. Est igitur affectus passio talis, quæ actionem simul includit. Hæc passio vocatur aliàs *motio*, passiva nimirum, quæ à passione nihil differt. Item *motus*, ut & *perturbatio*.

VI. Differentiæ considerationem absolvunt Causæ. Efficientem agnoscunt remotam, propinquam & proximam. Remota potest esse varia & multiplex: Sic Cœli influentiam in concitandis affectibus aliquid præstare nemo non novit; ut quando sidera homines ad varia studia resque gerendas alias atq; alias inclinant. Neque inficias imus, cujusvis naturam & temperamenti constitutionem se hîc exhibere negotiosam: quæ omnia ut remota hic linquimus. Propinqua est ipsa appetitiva Facultas, quæ efficit, ut, quæ nobis grata & jucunda apparent, persequamur; quæ verò sub ratione mali veniunt, aversemur. Proximam denique facimus ipsam objecti vel jucundi vel molesti cognitionem, utpote quæ proximè beneficio sensuum & phantasiæ objecto cognito & dijudicato, ad appetendum vel fugiendum nos instigat. Hinc Poëta:

*Ignoti nulla cupido.*

VII. Dum autem statuimus affectus effici ab objecti, quod vel bonum vel malum est, cognitione proximè, non sequitur eosdem à solo usu & assuefactione pendere, nihil autem ad eos conferre naturam, ut ita non tam naturales, quàm consuetudine acquisiti dici queant. Nam quædam eorum diurnâ lectione & exercitatione augeri & incrementa capere, libenter largimur. V. gr. quod multi iræ flammis tam citò crebroque corripantur, iracundiæque ita laborent vitio, id magnâ ex parte debent assuefactioni quotidianæ; verùm non soli, sed etiam naturali ad eam propensione, quæ ad iram concitandam prærequiritur. Distinguantur itaque sedulò radices affectuum, seu origo, & auctio eorundem seu incrementa. Hæc ab usu esse concedimus; radices autem seu potentiam tristandi, amandi, gaudendi &c. à solâ naturâ originem trahere asserimus. Hanc enim usus & consuetudo, à naturâ præsuppositam, invenit jam, indeque, tanquam ex potentiâ quadam, affectus in actum elicit ac deducit.

VIII. Finem dicimus esse boni persequutionem & mali aver-  
sationem. Ideò enim fiunt affectus, ut rem, quam bonam judi-  
camus & amamus volumusque, assequamur tandem, & quam  
malam arbitramur atque ita odimus & nolumus, devitare pos-  
simus.

IX. Materiam in quà statuimus esse animam; quæ quum di-  
versas habeat facultates, ad certam earum sunt reducendi. Poni-  
mus itaque affectus, non 1. in facultate animæ rationali, tum quia  
bruta animantia, quibus ratio omnimodè denegatur, tum quia in-  
fantes, qui ratione tantum privantur & usu ejus destituuntur, affe-  
ctus habere experientia docet. 2. in virtute animæ vegetante,  
quam nemo unquam mortalium observavit, ulli herbarum, arbor-  
um aut plantarum generi quicquam inesse horum motuum, de  
quibus jam sermo nobis: Sed 3. in sentiente animæ facultate, ejus-  
demque vi non cognoscente, utpotè quæ sub ratione *Veri aut Falsi*  
circa Objectum suum occupatur, sed appetente, quæ ut *bonum aut*  
*malum* Objectum aut fugit aut cupit. Quæ facultas, quum iterum  
duplex sit & *concupiscibilis* & *irascibilis*, ad utramvis certos referimus  
affectus. Interim Cor ab hujus subjecti non excludendum est par-  
ticipatione, quum & hoc pro ratione spirituum, à quibus afficitur  
aliter atque aliter, subjectum affectuum sit, & experientia teste ab  
affectibus nimium intensis planè enecatam sit; quod qui potuisset  
accidere nisi sedem sibi in eo collocassent, & per nimiam vehemen-  
tiam suffocassent. Hinc nobilissimi Physici appetitus irasci-  
bilis sedem dicunt esse cor; concupiscibilis autem renes, ut famo-  
sissimus Sennertus *Pract. Med. lib. III. parte 7. c. 7. p. 789. de renum usu ex*  
*Scripturæ dictis*, in quibus Deus corda & renes scrutari dicitur,  
multis probat documentis.

X. Non tamen hinc confusionis argui nos posse putamus, quòd  
appetitum, quem supra Efficientem affectuum fecimus, hic loci  
Subjecti quoque vices sustinere asseramus. Utrique enim muneri  
præesse sufficit appetitus sine ullo absurditatis timore. Efficiens  
enim est, quæ efficienter ad procreandos affectus concurrat, me-  
diante virtute cognoscente, ab objecto motus. Subjectum autem  
esse potest, quæ iisdem, quos effecit, affectibus substat, eos in se  
conti-

continendo. Affectus enim sunt operationes appetitus immanentes & per emanationem ab eodem productæ.

XI. Materiam, circa quam occupati sunt affectus, dicimus esse *bonum vel malum*. Sentimus enim duplices, quibus nos afficiunt affectus, modos, alterum quo persequimur, videlicet bonum, alterum, quo fugimus & averfamur, scilicet malum. Quia autem non raro fit, ut ob depravatæ mentis nostræ cœcitatem, appetitusq; inordinatam appetitionē reverâ bonū & reverâ malum discernere nō possimus, contingit, ut, quod in se malum est, bonū nobis appareat; & vicissim, quod aliàs in se suaque natura spectatum optimum est, mali tamen aliquid præ se ferre nobis videatur. Hinc sequitur Objectum affectuum statuendum esse non tantum reverâ bonum & malum, sed & utrumq; apparenter tale, ut & reverâ bonum & apparenter bonum, & reverâ malum & apparenter malum non unquam sectentur aut devitent.

XII. Properamus ad divisionem. Ab aliis variè dividuntur. Quidam ratione *magis & minus in vehementiores & remissiores* eos diviserunt. Alii ratione qualitatis in *simplices & compositos*. Nonnulli ratione Subjecti in eos, qui resident in appetitu concupiscibili, & eos, qui insunt appetitui irascibili. Alii demum respectu Objecti, quod vel jucundum, naturamque juvat, vel molestum, eandemque destruit, in *jucundos & molestos*, seu quod æquipollet, in *bonos & malos*. Nos ultimorum vestigiis insistentes eandem retinemus divisionem in bonos & malos ratione Objecti. Bonorum numerantur quatuor: *Amor, Desiderium, Spes, Letitia*; malorum etiam totidem, nimirum, *Odiū, Ira, metus, tristitia*. Ad quæ, tanquam summa genera affectuum, omnes reliqui facile reduci possunt.

XIII. Priores illos prius ventilabimus; in quorum apice stat **AMOR**, qui est fons & origo omnium affectuum omnisque, *ut ait Thom. lib. I. Contra Gentes, cap. 92.* affectionis in homine principium. Putatur ita dici à Græco *ἀγα* simul, unà, & hoc iterum ab Hebræo *אָהַב* conjunctio, quia ut dicetur in descriptione, amor est unionis affectus.

XIV. De:

XIV. Definitur Amor affectus, quo cum re amata tam præsente, quam absente, uniri cupit animus. Genus ut operose inquiramus videtur supervacuum; siquidem affectum esse amorem nemo facile inficiabitur.

XV. Differentiam constituit. 1. Objectum. 2. Causa, quæ vel *Primaria* vel *Secundaria*. Objectum est res, 1. *Bona*, quia quod malum est, non amamus, sed odimus. 2. *Cognita*; amari enim ignotum non potest. 3. *Præsens & absens*; quia amor repræsente, non definit. Sic duo Amici familiariter mutuò viventes amorem fovent optimum. In hoc tertio requisito differt à desiderio, cujus objectum est tantum absens bonum, non item præsens. 4. *Similis & conveniens*; quia amans cum amato uniri cupit; quod non fieret, si disconvenientia quædam adesset, quum dissimilia non tam unione, quam disjunctione gaudeant. Idem Objectum, ejusdemque cognitio stat etiam pro causâ amoris primaria, utpote, quòd invitat appetitum ad sui insequutionem & appetitionem.

XVI. Secundarias causas admittimus plures paulò. Nam ad conciliandum amorem hominum non parùm profunt dona & bona tum *Naturæ*, tum *Fortune*. Natura duplicia largitur dona: 1. animi, ut est ingenii sagacitas, judicii perspicacitas, memoriæ tenacitas & alia id genus plura. 2. Corporis, nempe Formæ elegantiam, staturæ decentiam &c. Fortune bona sunt opum pluralitas, vestitus formositas & talia multa, conversatio convivialis.

XVII. Quos amor gignit effectus, sunt multiplices in animo & corpore. In animo est desiderium rei amatæ, spes ejusdem, metus, ne intercipiatur ab alio, tristitia, si differtur conjunctio cum eâ, gaudium, quum compos ejus sit. In corpore efficit oris palliditatem, totius corporis defatigationem, suspiria, optationes & vota, morum sæpiùs mutationem & plura alia. Hinc *Terentius in Eunuchio, Act. II. Scen. I. Dii boni quid hoc morbi est adeone homines immutaverit ex amore, ut non cognoscas, eundem esse?*

XVIII. Tela, quibus contra amoris illiciti nos tueri possumus insultus, suppeditat armamentarium Theologicum, ac Physicum, atque Ethicum. *Theologia* suadet, ut assiduis precationibus impetui ejus obviam eamus, DEUM indefessè fatigemus, omniq; etiam  
mini-



minimæ nos subtrahemus occasione. Porro gravissimas pœnas, & exempla, quæ pœnas istas senserunt, ob oculos ponit. Tandem autem si his omnibus fortior est amor, intra conjugii recipiendum esse castellum, undè incursionibus illius resisti potest. *Physica* herbas porrigit. Sic lactucæ has tribuunt operationes ob frigiditatem naturalem. Huc spectare videntur Poëtæ, Adonidem amatorem mortuum in lactucis à Venere depositum fabulantes. Nec cære hâc vi dicitur ruta, quæ id præstat ob siccitatem insitam, à caloris sui nativi vehementiâ prognatam. Venarum sectiones, modicamque sanguinis fusionem amoris inservire decremento statuit Plato. Hujus loci est, quod habet Pausanias de flumine juxta Patras, Achajæ civitatem, sito, cui nomen Silemao, qui, tactus à viris pariter ac foeminis, amorem depulisse dicitur. *Etbica* jubet principiis obstare & occasionem declinare. Sed hæc paulò communiora sunt. Omnibus namque affectibus moderandis conducunt. Occasionem autem præbet; 1. *Oculorum petulantia*. Hinc fœdus cum illis pangendum esse, ne fortè circumspiciant, vult Jobus cap. 31. 2. *Cogitationum frequentia*. Si enim ejusmodi spurcis perpetim indulgetur cogitationibus, quid impedit, quò minùs cogitans earum suasionibus deceptus opus cogitatum aggrediatur? Hinc Hieronymus in Epistola ad Demetriadem: *quod pudeat dicere, pudeat & cogitare*. 3. *Sermonum impudentia*. Quam ut fugere possis, impudens & obscenum mitte sodalitium. Picem enim qui tangit, inquinabitur, & parum fermenti totam massam inficit. Hinc Seneca Epistola 82. *In vitia alter alterum trudemus. Turba quidem non mutat te, impedit tamen*. 4. *Vita intemperantia*; de qua Hieronymus in vita Hilarionis ita habet: *tria, inquit, sunt remedia amoris; Jejunium, Oratio, Labor*. Huc facit & illud Horatii in arte: *qui cupit optatam cursu contingere metam, abstinuit Venere & Baccho*. Item illud Terentii tralatitium: *Sine Cerere & Baccho friget Venus*.

XIX. Fuit Amor; sequitur DESIDERIUM. Cic. 1. Tusc. ait desiderium esse libidinem ejus, quod non adest, videndi, ut vox sonet, quasi de sideribus petamus, & tanquam cœleste bonum, appetamus id, quod volumus. Definitur affectus, quo bonum absens &

B

conve-

*conueniens appetimus.* Objectum est bonum absens tantum, in quo 1. discriminatur ab amore, qui & presentium & absentium est, hoc verò desiderium non nisi ad absentia vergit. Hinc *Aristoteles lib. IX. Ethic. cap. 5. Amor manet, si re amata potiamur, sed desiderium cessat tunc.* 2. Ab amore differt in eo, quòd omnis quidem amor adjunctum habeat desiderium (undè & signum & nuncius amoris audit,) sed non contrà omne desiderium amorem importat. Est ergò amor latior desiderio, hoc verò strictius illo.

XX. Ad spem digredimur, quam quidam ita dici putant à Græco *αἰσῶ*, palpito, quia ut plurimum accidere solet iis, qui spem in aliquid coniecerunt, ut cor palpitando & motitando id, quod amat, expectet. Est autem nobis sermo non de illâ spe, quam Theologi tractant, à quâ dupliciter differt: 1. Si spectamus *Subiectum*. Spes enim Theologorum id particulare tantum habet, quia extra fideles, particeps ejus nemo est; Nostra autem seu Philosophorum habet id universale, & nulli hominum, imò nulli animali perfectò denegatur. 2. Si spectamus *Objectum*. Illa enim pro eo agnoscit æternam vitæ cœlestis beatitudinem; Hæc verò omnis generis bona terrestria & hujus seculi.

XXI. Definitio Spei hæc est: *Spes est affectus, quo cor, ad bonum futurum, quasi recipiendum, se preparando, dilatatur.* Causa efficiens est bonum futurum, adeoque absens. Etenim de presentibus non spem, sed gaudium fovemus. Bonitas autem requiritur, quia tantum bona speramus; mala autem fugimus & timemus.

XXII. A desiderio distinguitur dupliciter: 1. quia desiderii objectum est bonum futurum absolute & simpliciter tale; Spei verò bonum futurum arduum & cum difficultate consequendi conjunctum, 2. quia illud pro Objecto etiam agnoscit impossibilia & vires humanas transcendentia, hæc verò nō item. Nam quæ sperari propriè debent, necesse est tandem aut fiant, aut certè fieri possint. Sic maxima pars vulgi desiderat quidem divitias, sperare tamen propriè non potest.

XXIII. Vestigia spei calcatur *Letitia*, ubi eam tantum volumus intellectam, quæ ex Objecto bono licitoque hauritur & honesta vocari

vocari

vocari sivevit, turpi & in honestâ posthabitâ. Vocatur aliàs *gaudium*, *delectatio*, *hilaritas*: quæ tamen quodammodo à se invicem discriminari solent ita quidem, ut gaudium ad interiorem, delectatio verò ad exteriorem rei apprehensionem spectet; Latitia autem, inanem effusamque animi denotet exultationem, quâ nimium gestiendo modum excedat, hilaritas autem de modestâ & concessa dicatur voluptate, vultusque simul indicet jucunditatem; ut habet D. Stebenthal in *Coll. Etb. Ex. VI. p. 38.*

XXIV. Definitur gaudium hoc modo: *Gaudium est affectus, quo se distendit cor amplectendo præsens bonum.* De Objecti hujus bonitate, ejusdemque cognitione verba non faciemus, quum in communi ad omnes bonos affectus requiri facile sit intelligere; Præsentia autem peculiare quid est, quam gaudium solum habet inter bonos affectus extra amorem, cum quo in hoc coincidit. Præsentia autem boni ideo requiritur, quia tum de præteritis tum futuris nullum propriè dictum fieri potest gaudium. Si autem contingit, ut gaudere quis dicatur de præterito, fit illud non tanquam præterito, sed tanquam præsentia, quia per recentem memoriæ recordationem tanquam præsens istud bonum nobis objicitur.

XXV. Consideratis Objecti jucundi effectibus, veniunt his contrarii etiam ponderandi. Agmen eorum ducit *Odium*, amori oppositum. Definitur affectus, *quo malum fugimus.* Causam agnoscit malum. Ut enim amorem efficit bonum; sic è contrario odium creat malum, idque non semper reverâ tale, sed sapissimè etiam apparens. Hinc & reverâ & apparenter malum pro Objecto agnoscit odium. Sic oritur odium ex apparenti malo, quum quis læsum se offensumque putat, quum tamen in re ipsâ ita se non habeat.

XXVI. Amor est prior odio ob duplicem causam: 1. *natura* Naturæ: Ille enim habet objectum natura prius: hoc autem natura posterius. Nam omne bonum natura prius est malo. 2. *natura ipsius actus*: Nihil enim odio habemus, nisi quod contrariatur illi, quod in amore à nobis positum est.

XXVII. Ira definitur *affectus ultionem propter malum illatum moliens*. Intelligas autem iram hoc loco, non quando aliàs æquippollet Iracundiæ, quæ est habitus vitiosus, & alterâ ex parte Mansuetudinis extremum; sed quatenus ex subitaneâ sanguinis circa cor in inflammatione atque ipsius cordis & compressione & dilatatione asperâ & ingrata oritur.

XXVIII. Causæ iræ sunt vel *Interne* vel *Externæ*. Illæ sunt variæ, ut temperamenti caliditas, sensuum imbecillitas, iudicii infirmitas, & talia. Hæ sunt vel personæ vel res. Personæ trifariam causa iræ nobis, juxta Philosophum *lib. 2. Rhet: cap. 2.* existunt 1. Καταφρονήσις, hoc est, *aspiratione seu parvipensione*, quum nimium aliquem temnimus & elevamus. 2. Ὀπικωλύσις, id est, *impeditione*, quando videlicet conatibus & ausis alterius obstacula ponimus. 3. ὕβρις, hoc est, *injuriarum illatione*, quum nimirum existimationi alicujus derogamus aut famæ maculas adspargimus. Res, quæ iram promovent, sunt circumstantiæ variæ, per quas iræ stimulis non rarò concitatur, ut sunt locus, tempus atque alia benè multa. Sic majorem sanè putamus injuriam nobis factam, si quis publico in loco nomine turpi nos lacestat, quàm si inter parietes privatos id contingat.

XXIX. Efficit ira multum tum in iis, qui fovent ipsam, tum in iis, quibus fovetur, si videlicet lineas sibi ductas positasque transfilit. Nam *illis* damnum infert 1. *quoad corpora*. Cor enim ob illam sanguinis, à quo cingitur, aduersionem ab irâ factam, etiam non mediocriter incalescit, quod aliàs tamen mirâ caliditate natura dotavit; siquidem calidum innatum ei, tanquam præcipuo Subjecto, inesse gaudet. Hinc Galenus *Ἐπιαντὸ ἐμφύτῳ θερμῷ* cor vocitavit. Calor itaque ille cordis Spiritus etiam vitales accendit, qui postmodum, beneficio arteriarum ad cerebrum delati, flammam istam ipsi quoque cerebro suggerunt, ut non minùs & illud exardeat. Id quod ubi accidit, omnia membra conquiescunt & turbine quasi quodam percussu muneris sui partes obire desunt. Hinc tremor membrorum & totius corporis, pallor oris, titubatio vocis & periclitatio valetudinis & ejusmodi multa. 2. *quoad animos*, quos turbat, loco sedeque quasi movet, sibi que

dissi-

dissimiles planè reddit, quum non nisi temporis intervallo differat ab Infania, ut Cato loquitur. Et *Horatius lib. 1. epist. 2. Ira furor brevis est.* Ira, quibus irascimur, non parum nocet. Ille enim, qui irascitur alteri, omnia incommoda ipsi inferre manibus pedibusque laborat, diris ipsum fovet, & si forsitan datur occasio, reipsa illa incommoda excogitata in ipsum congerit. Imò, mortem ipsam, teste præsentè experienciâ, sæpius ab irâ profectam esse novimus omnes.

XXX. Quæ iræ medentur remedia ab Ethico facile addisci possunt. Ille enim jubet 1. *principiis obstare*; siquidem, ut habet *Seneca lib. 1. de Ira, cap. 2.* facilius est excludere perniciofa, quàm regere, & non admittere, quàm admissa moderari. 2. *Occasionem devitare*. Ut enim aliàs occasio facit furem; ita nihilominus iræ flammæ concitari, ubi datur oportunitas & commoditas nemo facile inficias ibit. Hinc Ægyptius ille Monachus rogatus, cur adeò ab omnibus voluptatibus esset alienus, ut, inquit, *hac ratione omnem causam & occasionem iræ præcludam.* 3. *Vindictam prorogare*. Mens enim, quum ob imbecillitatem ab affectuum vehementiâ præcurratur sæpius, facile fieri potest, ut qui calens fervensque jam iræ habenas non cohibet & attrahit, adeò sæviat, ut pœniteat deinceps. Rectissimè ergò *Seneca lib. III. de Irâ, cap. 1. Satius est relinquere iram, quàm relinqui ab eâ.* Hinc etiam simile. Ut febres depellit non rarò abstinentia à cibo & potu; sic etiam ira sopitur, ubi ulteriores fomites ei denegantur ultionem procastinando. 4. *In nos ipsos descendere*, reputantes etiam nos ab omni labe & errore immunes non esse, quum errare humanum sit. Hoc jussit olim Democritus quendam, in servos nimium baculis furientem: *Desine, inquiens, servis tuis esse similis. Servus enim est, qui cupiditatibus suis imperare nequit. Erasmi lib. 8. Apoph. Meliora svadentibus obsecundare.* Ut enim ignis aqua restinguitur: Ita quoque monitis amici ardor iræ mitescit. Hac laude olim nobilitatus legitur fuisse Socrates, qui familiarium suorum reprehensiones lubenti animo admisit.

XXXI. Jubemur aggredi Metum, quem *ὑπὸ ἔμετιέναι*, id est, dimittere animum ita derivari putant, ut & aliàs *μεθυσωμένη* animi abje-

abjectionem seu dimissionem notat. Metum autem sumas non in eo sensu, quo, 1. pro actu seu habitu quodam spiritali acceptum, donum aliquod Spiritus Sancti significat, de quo Hieropsaltes Psalmo 111, 10. Timor Domini initium Sapientiae; qui à solo Spiritu Sancto effectivè dependet, & in solis sanctis viris Subjectivè reperire est. 2. quò alterum Fortitudinis extremum notat, qui est habitus vitiosus in defectu peccans circa terribilia, aliàs audit Timiditas: Sed 3. quo motionem seu passionem appetitûs irascibilis indicat.

XXXII. Hujus metus definitio talis erit: *Metus est affectus ex spirituum coarctatione cordisq; constrictione ob approximantis mali deviationem natus.* Definitionem explicant 1. *Objectum.* 2. *Modus.* 3. *Finis.* *Objectum* continet omnis generis mala, incommoda & pericula. *Modum* expriment spirituum coarctatio cordisq; compressio. Cognito enim objecto sub ratione mali, idque ante fores ferè præstolari, spiritus ad illud devitandum sese uaiunt & agmine factò intra cor ruunt resiliuntq; atq; hinc etiam cordis nascitur angustatio. *Finis* est fuga mali, quæ duplex est *vel imperata*, quando nimirum locomotiva impellit corporis membra ad motum destinata, & hæc jubentis jussa capeunt, locumq; mutant; *vel elicta*, quæ fit, quum ipse appetitus reformidat fugitq; impendens malum, quæ abstractè consideratur ab illâ, quæ locum mutat.

XXXIII. Agmen affectuum mali objecti claudit Tristitia, quàm aliàs dolorem salutant ab Hebræo חִיָּם doliuit. *Becman. in Orig. Lat. Ling. p. 407.* Definitur *affectus, cor propter malum tum præsens, tum præteritum constringens.* Objectum agnoscit, ut omnes hujus generis affectus, malum idque & præsens & præteritum. *Illud* est causa doloris per acerbam & molestantem præsentiam & fruitionem; *hoc* verò per injucundam sui reminiscenciam & recollectionem. Causæ accidentariæ & iuvantes sunt Melancholia & solitudo. *Illæ* quidem, quia, si quis hoc morbo laborat, fortius malum istud sibi imaginatur, undè tristitia non parva capit incrementa; *hæc* verò quia liberè ejusmodi tristibus mœstisque indulgeri potest cogitationibus, nec est, quod nos avocet ab illis,  
aut

aut obicem interdum ponat, ut objecto alio oblato, hoc missum faciamus.

XXXIV. Effectus ejus, quum magnâ ex parte cum aliorum affectuum coincidunt, quos & in corpore & animo producant, taceamus. Hoc tantum addimus huc referri 1. misericordiam, quæ est tristitia de malo alieno, quod ut proprium habetur. 2. Invidiam, quæ est tristitia de bono alieno, quod ut proprium malum habetur. Multa, quæ huc spectarent, brevitate studiosi, omittimus, & umbilicum jam addimus.

SOLI DEO LAUS & GLORIA.



*Ad*

*Præstantissimum & Doctissimum*

**Dn. Respondentem,**

**Fautorem, Amicum & Consalinum per dilectum,**

**Q**uid sint affectus, & qui virtute regendi,  
Hæc, Stolzi, doctè themata docta docent.  
Gratulor hoc coeptum, dum primùm pulpita scandis,  
Orbis quæ celebrat docta caterva satis:  
Atq; precor virtute tuâ compefcere tales  
Pergas; virtutis præmia digna feres.

*scrib.*

**M. Matthæus Ranstius Misnensis,**

*Dum*

**D**um jam de affectu, Stolzi, aas verba facunda,  
Arguis affectus pectus habere bonos.  
Perge age, & hosce tuos affectus exsere postbac,  
Sic tibi pro meritis pramia Pirna dabit.

*Ita gratulab.*

**Gothofredus Vollradus Cygnæo-**  
Mifnicus, Theol, Stud.

**D**efensor thematum doctorum publicus audis,  
Stolzi, divinos gratulor hos stimulos.  
Maçte pari studio reliquos sic excipe menses,  
Nec dubium, reteget condita quæq; Themis.

*Contubern. suo per amando  
lubens apponeb.*

**Johannes Felix Lukschan**  
Praga-Bohemus



*Coll. dess. A. 234, n. 1*